



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 9. De Maria, Elizabeth eognatam suam visitante. Myst. punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

**INTEL.** Notemus celerem executionem; nam  
B. Virgo statim post assensum suum concepit de  
Spiritum Sancto; **REFL.** Talis debet esse assensus no-  
ster; ut mox sequatur ipsa operis executio.

**VOL.** Deinceps dum datur signum salutatio-  
nis Angelicæ, petamus per tertium *Ave Maria*,  
gratiam non tantum recipiendi bonas inspiratio-  
nes, eisque assentiendi, sed etiam easdem exe-  
quendi.

**COLLOQ.** Ad B. Virginem, Christum incar-  
natum jam in utero Virginis, & ad Deum Patrem,  
petendo, ut dignetur confirmare, quæ jam animo  
nostro statuimus. **RECOL.**

## MEDITATIO IX.

*De MARIA, Elisabeth cognatam su-  
am visitante, ut habetur*

*Luc. i. Myst. punct. i.*

**CONG.** Non mutatur.

**PRAEL. I.** Quomodo inviserit Maria Eli-  
sabetham, ac S. Joannes in utero existens  
senserit Mariæ Salutationem, & gestierit.

**PRAEL. II.** Repræsentare sibi locum, in quo Ma-  
ria & Elisabeth sibi occurserunt.

**PRAEL. III.** Petere, ut ex Contemplatione  
Christi recens incarnati, excitemur ad ardentius  
ipsum amandum, & studiosius sequendum.

**PUNCTUM I.** PERSONÆ. **MEM.** Aspicere MA-  
RIAM, & Elisabetham invicem salutantes.

IN-

INTEL. Consideremus Elisabetham repletam  
Spiritu Sancto: Nam ut audivit salutationem

**MARIAE**, Elisabeth... repleta est spiritu Sancto

Luc. 1. Sic Christus recens incarnatus incipit dis-

fundere sua dona, iis, qui proxime ipsi fiunt vicini.

REFL. Hinc discamus, si proxime Christum sequi-

mur, tanto majora dona nos posse ab ipso sperare.

VOL. Cum magno fervore dicamus: En-

Rex supreme recens incarnate, testor hoc esse

desiderium meum, quam possum proxime te se-

qui, da mihi quoque Spiritus Sancti dona, ut mi-

lius tibi adhaerem.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Elisabeth exclama-

vit vocem magnâ & dixit: Benedic tu in

mulleres, & Benedictus fructus ventris tui.

Luc. 1.

INTEL. Ratiocinemur, ab Elisabetha, per haec  
verba laudatam fuisse B. Virginem tamquam Ma-  
trem Dei, & simul laudatum Christum, qui erat  
fructus ventris: idque Elisabeth fecit exclaman-  
do, & quidem voce magnâ. REFL. Examinemus  
nos, an pari zelo laudemus Christum, ejusque  
Matrem.

VOL. Conjungamus affectum nostrum cum  
Elisabetha, & exclamemus voce magnâ, ut Eccle-  
sia audiat, & hæretici confundantur: Benedic  
tu in mulieribus, & Benedictus fructus ventri-  
tui Jesus.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. **MARIA** in diebus  
illis abiit in montana cum festinatione... ex-  
ultavit infans in utero. Luc. 1.

IN-

INTEL. Notemus hinc abesse omnem acediam & pigritiam, exultat infans, MARIA festinat, & sequitur consilium datum Eccli. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox.* REFL. Diligenter inquiramus, an non habeat apud nos locum Acedia, est enim peccatum Capitale, quod multum nocet, & alibi explicatum est, cum suis filiabus, vide hic Hebd. I. Med. 22. punct. 4.

VOL. Accusemus acediam & pigritiam nostram: ut illam excutiamus, dicamus ad Deum: latabor, & exultabo in te. Psal. 9. *Exultabit cor meum in salutaris tuo.* Ps. 12.

COLLOQ. Quo petatur *pax & gaudium in spiritu Sancto.* Rom. 14. RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO X.

De MARIA, Elisabeth Cognatam suam visitante, ut habetur. Luc.

I. Myst. punct. 2.

CONG. Ut supra.

PRÆL. I. Virgo in hoc canticum prælātitia prorupit: *Magnificat, &c.*

PRÆL. II. Imaginari sibi sanctam Domum Elisabeth, ubi canticum illud prolatum est.

PRÆL. III. Petere gratiam imitandi virtutes, quæ præsente Christo, ibi eluxerunt.

PUN-